



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de
Antverpiae, 1610**

De suspenso ab officijs, alijs reis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96556)

qui suspensus est ex eo, quod cum esset illegitime natus, ordines suscepit. Et hoc ipsum ipse deducit ab ea opinione, quam communiter post Innoc. probant Doct. in d. c. si celebrat. Igitur licet corpore vitiat, nec illegitimi nequaquam possint sacris ordinibus insigniri: tamen si nihilominus ad eos promoti ministraverint in eisdem, novam non contrahunt irregularitatem. Idem notat Domini in c. apostolica. distinctione quinquagesima sexta, & est Communis Opinio secundum Ravenam in Alphabeto Aureo, folio centesimo octuagesimo sexto, columna secunda.

Secundo hinc definiendi poterit quaestio illa, qua solet disputari, an sacris ordinibus ante legitimam aetatem insignitus, irregularis efficiatur in eisdem ordinibus ministrans, eorumque usum exercens? Cui quidem quaestioni praeritendum est, quod nemo potest sacros suscipere ordines ante legitimam aetatem iure Pontificio definitam, praesertim in Clem. generali de aetate & qualitate ubi glossa in verbo, observantiam. asserit, promotum ad sacros ordines ante legitimam aetatem, non posse ordines eosdem exercere, donec aetas legitima accesserit: qua quidem accedente, cessat impedimentum: & ideo poterit hic in ordinibus suscipere ministrare. Quod probatur in c. vel non est compos. de tempor. ordina. notat Ioa. de Imol. in d. Clem. venerabilem num. 8. Henric. in c. consultationi. col. 4. de tempor. ordina. Archid. & Praepos. in c. placuit. 77. distin. & est communis opinio in d. c. vel non est compos. Nec tamen ordinatus ante legitimam aetatem est ipso iure suspensus, sed suspendendus: text. optimus in d. cap. vel non est compos. quem ita intellexerunt Archidia. Cardinal. à Turre Cremata. & Praepos. in d. cap. placuit. Henric. in d. cap. consultationi. col. 4. Albert. Trocius de vero & perfect. cleric. lib. 2. cap. 17. Florent. part. 3. tit. 14. cap. 16. §. 15. quorum opinio communis est, ut asserunt Card. in d. cap. vel non est compos. ad finem. Praepos. in d. cap. placuit. & Gonfalus à Villadiego de irregularit. cap. de suspensione. col. 2. tametsi non desint, qui expressim tenuerint, hanc ita ad ordines promotum ipso iure suspensum esse, ante legitimam aetatem. Vtunque tamen sit, si communem sequamur in hoc intellectum; constabit apertius, celebrantem ante legitimam aetatem, aut in ordinibus sacris ministrantem, non esse irregularem, cum hoc in casu minime contingat suspensio iuris, nec hominis. Quod si quis defendere maluerit, ante legitimam aetatem suspensum esse quem ipso iure: tunc adhuc iure probabilius est, celebrantem non esse irregularem. Quia haec suspensio non ob crimen, sed ob defectum statuta est à iure. Sic sane tenuerunt Paulus & Cardin. quasi §. 6. in d. Clement. generalem. Albertus Trocius in d. cap. 17. Cardin. in d. cap. si celebrat. Dominic. in cap. eos. de tempor. ordina. in 6. Gonfalus à Villadiego in d. tract. de irregularit. cap. de suspensione. col. 2. & est Communis Opinio, ut asserit Florent. part. 3. tit. 28. cap. 1. §. 1. col. 2. quam & ipse sequitur eadem part. 3. tit. 14. cap. 16. §. 15. Hodie tamen extat constitutio extraneas Pij Secundi nondum typis excusa, qua cautum est, promotum ad sacros ordines ante legitimam aetatem, aut ab alienis episcopis absque literis dimissoriis, vel extra tempora ipso iure suspensum esse: & si in eisdem ordinibus ministraverit, irregularem: cum quo solus Papa dispensare valeat. Huius constitutionis meminere Gonfalus in d. cap. de suspensione. col. 3. Syluest. in verb. irregularitas. §. 10. regnl. cancella. Clementis Septimi 22. Ioan. Bernard. in practica criminali. cap. 22. & eam transcribit Petrus Rebuffus in tractat. de beneficiis. part. 2. tit. de clericis ad sacros ordines male promotis. gloss. 4. quam obrem cavere debent, qui ante legitimam aetatem, aut extra tempora iure statuta fuerint sacris ordinibus donati, ne in eisdem absque dispensatione ministrent. Is vero qui bona fide celebraret, putans id sibi licere, fortassis non foret censendus irregularis: sicuti optime tradit egregius vir Martinus Azpilcueta in repetit. capit. accepta. de restitut. spoliat. oppos. 8. num. 34. hoc ipsum intelligens quo ad forum interius, & exterius, modo id factum fuerit probabili ignorantia: atque ita ipse praeterea extraneam constitutionem interpretatur ex his quae in simili voluerunt glossa in cap. solet. de sentent. excomm. in 6. gloss. penult. & Card. in Clem. 1. de privileg. §. 38.

Tertio ab eadem ratione deducitur, non esse irregularem, publicum, aut manifestum peccatorem, etiam si ante penitentiam publice in sacris ordinibus ministraverit. Is enim est suspensus quo ad se, non quo ad alios: quod notant praeter alios Henric. col. 6. & Cardinal. col. 2. in dict. cap. si celebrat. de cleric. excomm. ministr. Societas in cap. ad audientiam. de homicid. num. 23. qui & ibi probat

primam huius quaestioni illationem, sic etenim est intelligendus text. in cap. vlt. de tempor. ordin. sunt tamen qui ab hac tertia illatione excipiunt notorium concubinarium, ut ex vitio oppressum, ut nulla valeat exculatio ipsum crimen celare: quasi hic sit ipso iure ante penitentiam suspensus quo ad se, & quo ad alios, text. in cap. si qui sum. 89. dist. & cap. praet. 32. distin. Eaque ratione si ante penitentiam hic celebraverit missarum solennia, novam contrahit irregularitatem à solo Papa delebilem. Huius sententiae auctores sunt Praenormitanus in cap. vestra. col. 4. de cohabitatione clericorum & mulierum. Chofmas in Pragmatica sanctione. tit. de concubinariis in verbo, inhabiles. Alvarus Pelagius de plenitudine Ecclesiae. folio. 27. col. 4. & Syluest. in summa. in verbo, concubinarium. §. 4. Gonfalus à Villadiego, de irregularitate. cap. de suspens. col. 3. Abulensis Episcopus in tractat. de concubinariis clericis, conclus. 7. & Petrus Rebuffus in concord. tit. de publicis concubinariis. in praepos. Guido Papa quaestio. 558. Florentinus in 3. part. tit. 27. cap. 3. Ioannes Bernard. Diaz de Luco, Episcopus Callaguritanus in practica criminali canonica. cap. 73. Paludanus in 4. sentent. distin. 27. quaestio. 4. col. 2. Holtiensis in dict. cap. si celebrat. Bermondus in tractat. de concubinariis. pag. 270. qui asserunt, hanc Opinionem Communem esse. Quibus suffragatur textus in cap. vlt. de cohabitatione clericorum & mulierum. quo manifeste constat, hunc notorium fornicatorem suspensum esse ipso iure, quo ad se, & quo ad alios. Fit igitur, cum irregularem esse, si ea suspensione extante divinis officijs operam dederit. His accedit Gratiani sententia in d. cap. praet. §. prohibentur. qua probatur, clericum notoria concubinarium suspensum esse, & ceteri ipso iure quo ad se, & quo ad alios. Vnde & irregularis erit. Nam & Holtiensis cap. tanta. de simonia. scribit, clericum propter aliquod crimen suspensum quo ad se, & quo ad alios, irregularem esse, si nondum ea suspensione sublati proprio fuerit usus officio. Idem tenet Archidia. in cap. 1. de re iudic. lib. 6. Idem notat Henric. in d. cap. si celebrat. col. penultim. Ioan. in summa. consil. lib. 3. tit. 29. quaestio. 5. contrariam equidem opinionem iure veriorum esse censent Innocent. & Ioan. Andr. in d. cap. si celebrat. Cardin. in cap. vestra. & cap. quaesitum. de cohabit. clericorum & mulierum. Speculat. tit. de dispensatione. §. iuxta propositionem. 20. Ioan. de Imol. in cap. 1. col. 4. de iudic. Nicolaus Plovius de irregularitate. regul. 41. Archid. in cap. praet. §. ad hoc vero. 32. distin. Martinus Azpilcueta in cap. si quando. de rescriptis. col. 57. Qui tamen fatetur praecedentem, ac priorem sententiam communem esse. Sed & opinio Innocentij ex eo quodlibet placet, quod irregularitas minime contrahatur, nisi in casibus iure expressis, quod non semel probavimus, quilibet autem in iure decisum esse, publicum fornicatorem irregularem esse, si divina officia celebraverit. Dices statim, rationem istam tolli, quia fornicator notorius suspensus est ipso iure quo ad se, & quoad alios: suspensum autem irregularem esse, si suspensionis tempore celebraverit, cap. 1. de re iudic. in 6. & cap. 1. de sentent. excomm. eodem libro. tunc tunc responderit, hoc verum esse de suspensione, quae dicitur à iure indicta est propter delictum & eius poenam, non de ea, quae ratione cuiusdam honestatis ab ipso canone sit positus ob decoris, quam in poenam directam criminis, & ipsius delinquentis: sicuti paulo ante diximus de corpore vitiat, & illegitimus. Ego quidem, etsi videam priorem opinionem pluribus placuisse: nam & eam tenent Anan. col. 1. & Felin. 2. in cap. cum dilectus. de accusat. & Anton. numer. 22. in cap. 1. de iudic. atque eam fore intelligendam, ubi publicus concubinarium divinis se immiscuerit eo tempore, quo publice in eodem versatur vitio, non alias: quemadmodum intellexit re Calde. in d. cap. si celebrat. & Praepos. in d. cap. praet. §. ad hoc. m. 1. §. 32. distin. idemque à plerisque eiusdem auctoritate auctoribus deducitur. quidquid alij senserint, adhuc censio duram esse nimis hanc communem conclusionem nec audeam secundum eam iudicare quemquam irregularem esse: tametsi consulerem, ut absolutio aut dispensatio impetraretur à Romano Pontifice. Illud tamen fateor, suspensum ab homine, vel à iure in poenam directam & propriam: etiam ad tempus certum, vel donec poeniteat, irregularem esse, si tempore suspensionis divinis rebus operam dederit: quod visum est Innocentio, Ioan. Andr. Holtiens. Henric. col. 4. & alij in dict. si celebrat. Speculat. in d. §. iuxta propositionem. numer. 21. Versu. crassa autem ac socin. in dict. cap. ad audientiam. de homicid. numer. 25. quorum Opinio, si fallor, magis Communis est licet quidam contrarium probare conentur.

Solent vero & aliquot crimina, quorum auctores iure Pontificio etiam peccata poenitentia, etiam occultis, suspensio ab executione officij & ordinis ecclesiastici, in quibus plane seruanda est regula tex. in cap. 1. de re iudic. & cap. 1. de sentent. excomm. in 6. de his enim traditur in cap. vltim. de tempor. ord. in cap. nisi cum pridem de renunciat.

Solent denique controuerti de sodomita nefandi criminis reo, an is si typso iure suspensus ab ordinis ecclesiastici executione, adeo vt interim in eodẽ ordine ministrans sit irregularis: iuxta cap. 1. de re iudic. in 6. & profecto receptũ est, sodomitam adhuc occultum, etiam peccata poenitentia suspensionem esse ab executione ordinis, & ideo interim celebrantem irregularem esse, ea quidem irregularitate, quæ à solo Papa delebilis sit: quemadmodum Anto. & alij notant ex cap. nisi cum pridem. §. 1. de renunc. & in cap. vlt. de temp. ord. in specie Bellenzinus in apostil. ad Panor. in cleric. de excessib. pract. Specul. in d. §. iuxta propositionem. n. 17. Hof. & Ioa. Andr. in d. cap. nisi cum pridem. §. 1. Archid. & Præp. in cap. de his. in 2. dist. 50. Manan. Socin. in d. c. ad audientiam. nu. 27. quam Opinione allegerans communem esse defendit Cæsar Lambert. in tract. de iure part. 1. part. 2. lib. q. 9. art. 18. n. 4. & licet Aret. in cap. cum non ab homine de iudic. num. 90. contrarium probare conetur, nec possit omnino ex iuris rigore defendi communis sententiam cum nullus sit iuris Pontificij locus, qui hanc irregularitatem induxerit, attamen propter tanti criminis grauitatem tuenda opinio, quæ tot doctissimorum virorum auctoritatem habet, Nam & eam sequitur Bertachin. in tract. de episcop. 1. part. 2. lib. 3. o. q. idcirco Rebuff. in tract. de pacific. poss. num. 208. censet, sodomitam non posse eligi ad ecclesiasticũ beneficium, nec validam esse collationem beneficij eidem factam: quod & Lambert. in d. art. 18. latius probare conatus est, quibus multa patrocinantur, quæ de huius nefandi criminis grauitate traduntur, præsertim à S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 1. c. vlt. c. adulterij. 3. 2. q. 7. l. cum vir nubit in feminam, viros pariter: quæ quædam capitur? C. de adult. cap. infames. 3. q. 7. l. 1. §. remonet. ff. de pñda. sub. vt non luxurietur contra naturam. collat. 6. §. 2. Institur. de publ. iud. cap. in Archiepiscopatu. de raptorib. cap. vt clericorum. de vita & honest. cler. l. 2. tit. 21. part. 7. l. 2. tit. 9. lib. 4. Fori. pragmatica regum Catholicorum Ferdinandi & Elysiabeth. l. 85. Lamber. multa in d. art. 18. & Matth. Afflic. in consil. Neapol. lib. 3. rubr. 42. et. nos item aliquot adduximus in Epitome ad 4. decret. 2. part. 7. §. n. 6. Paul. Paris. consil. 103. lib. 4. Lucas de Penna in l. 2. tit. 3. C. de exco. & except. lib. 12. tex. opt. in d. c. cleric. de excess. prel. ad hęc & Valer. Max. l. 6. cap. 1. de pudicitia, quædam veterum exempla commemorat de huius sceleris punitione. Maxime laudat C. Marij Imperatoris disciplinam: cuius & Quintilianus meminit in declamatione, cui titulum fecit, Miles Marianus: & Plutar. in Mario, alia itidẽ refert Aymar. Ritualis lib. 3. hislor. iuris civilis. cap. de lege Scatima. quæ lata fuit in huius sceleris reos: cuius meminit & Tertull. in lib. de monogamia. Huius criminis authorem non facere testamentum, etiam ante accusationem & condemnationem probare conatur Anastasius Platus inter consil. in Barb. consil. vlt. lib. 1. Guiljel. Benedic. in c. Raynatus. de testam. ver. mortuo itaque testatore: in l. 1. tit. 1. c. de secun. nup. n. 8. Ac Specul. tit. de iur. iur. edit. §. compendiose. vers. 13. asseuerat, sodomitam huius criminis damnatum testari non posse: quasi vellet, hęc ante damnationem testari non posse, sed prior opinio ex eo probatur, quod sodomita sit ipso iure infamis. d. l. cum vir. in q. l. 1. §. remonet. & ibi gl. ff. de postul. c. infames. 3. q. 6. infamis autem ipso iure testari prohibetur. l. is cuius. §. vlt. ff. de testam. & præterea huius criminis author ipso iure dominio bonorum priuatur: quod gl. notat in cap. cum secundum leges de heret. in 6. in rebus nature. contrarias. quæ confirmatur auctoritate Reg. pragmatice sanctionis. in d. l. 85. qui vere omnium bonorum præsentium, & futurorum dominio ipso iure priuatus est, testari minime potest: vt explicat Bald. in auth. success. opt. quibus tandem rationibus persuaderi poterit ea sententia, quæ dicitur, sodomitam etiam ante condemnationem testari non posse. Sed & de poena ignis extat ante Iulianian. elegans constitutio, lib. 9. codicis Theodos. tit. 7. in hunc modum, Imperatores Valenti. Theodos. & Arcad. A. A. A. Orentio Valerio vrbis Rom. Omnes, quibus flagitij vsus est, virile corpus muliebriter constitutum, alieni sexus damnare patientia: nihil enim discretum videtur habere cum feminis. huiusmodi scelus spectante populo flammæ vindices exoriantur. PP. in foro Traiani octauo Idus August. Valentiano A. IIII. & Neotherio Con. SS.

De illo autem, qui simoniae crimen commiserit, itidem dubitatur, an sit ipso iure ab officio suspensus ea suspensione, quæ ipsum efficiat irregularem, si diuini se immiscuerit, & vbi simonia fuerit in ordine commissa quo ad ipsum, & quo ad alios, ipse simoniacus est suspensus ab ordine per simoniam suscepto, & ab alijs ordinibus. tex. in c. præter. §. verum. 32. dist. c. reperitur. q. 1. c. eos. 81. dist. Innoc. & Dd. in c. tanta. Abb. in cap. per tuas. in 2. num. 5. & c. de simonia. tex. in c. si quis. & ibi Panor. de simon. Syluest. verb. suspensio. q. 7. Hof. in Summa. tit. de simonia. §. qua pena. quoniam Opinio communis est: nec poterit iure negari: quia in præcatis locis probatur, atque ideo irregularis erit simoniacus, qui eo tempore nondum sub lata suspensione in ordinibus ministraverit, etiam post poenitentiam. Quod si commissa fuerit simonia in beneficio ecclesiastico acquirendo, idque crimen fuerit notorium & publicum, est simoniacus quo ad seipsum, & quo ad alios ipso iure suspensus: secundum Innocent. in dist. capit. tanta. & Panor. in c. accusatam. de simonia. idcirco irregularitas ab eo contrahitur per solum Romanum Pontificem delenda, si celebraverit ante huius criminis peccata poenitentiam: quod ita visum est Gonzalo à Villadiego de irregularit. c. de simoniaco. & plerisque alijs, quorum opinio licet dubia olim potuerit esse, hodie tamen constat per extranea. constitutionem. Paul. Vene. de simonia. qua inflicta est ipso iure excommunicatio aduersus simoniacum in beneficio acquirendo. cuius constitutionis ipse memini in reg. peccatum. 2. part. §. 8. num. 7. de reg. iur. in 6. fit igitur, vt simoniacus in acquirendo beneficio, cum excommunicatus sit ipso iure irregularis omnino si, sit in ordinibus ante absolutionem ministraverit: eaque irregularitas à solo Papa delebilis est. c. 1. de re iudic. & cap. 1. de sentent. excomm. in 6. sic etenim sunt intelligenda quæ hoc in dubio solent per Doctores adduci ad quætionis decisionem. Nec mirum hoc cuiquam videri debet: cum istud crimen grauissimum sit, & in Christiana Republica perniciosum valde.

§. SECVNDVS.

De bigamis & Neophytis.

S V M M A R I A.

- 1 Bigamia quid sit, & unde originem hæc irregularitas deduxerit.
- 2 Bigamus quis dicatur, & quot modis vitium hoc contrahatur.
- 3 Bigamus non est qui à seipso vitiatam uxorem duxerit.
- 4 Romanus Pontifex potest cum bigamo dispensare, non episcopus.
- 5 Baptismus an tollat irregularitatem ex bigamia vel homicidio ante contraham.
- 6 Religiose professio bigamiam non tollit.
- 7 Neophyte, an sint ad ordinis sacramentum admittendi, & ad beneficia ecclesiastica eligendi.
- 8 Neophytus, an sit recipiendus ad officia secularia, & quid de his, qui genus ac nomen a Iudeorum gente deducunt.

Et inter alias irregularitates non postremus bigamie locus, cum & ea vetustissimis decretis & institutis iure Pontificio fuerit statuta. Ea vero sic definitur: Bigamia est irregularitas ex defectu sacramenti procedens: quemadmodum Hostien. in Summa definiuit, quem alij sequuti sunt, præsertim Ioannes Montaigna in tractat. de irregularit. Bigamia, in princ. & probatur multis, quæ statim traduntur. Sacramenti autem, cuius hic defectus consideratur, notissima est significatio: siquidem id matrimonium est, de quo nos olim Salmantica: epitomen in 4. Decretalium concinnauimus: eiusque 2. part. c. 1. ad finem explicauimus, quid matrimonij sacramentum significet perfecta eius significatione. Hæc sane irregularitas originem ducit à veteris testamenti legibus. Leuit. enim cap. 12. scriptum est de sacerdote: scortum & vile prostibulum non ducet uxorem, nec eam, quæ repudiata est à marito. Apud Ethnicos, auctore Aulo Gellio, lib. Noctium Atticar. cap. 15. flamen si uxorem amisit, Flaminio decedebat, eo quo dnon poterat secundam uxorem accipere. Septimius item Tertullian. in lib. de exhortatione ad castitatem, inquit: monogamia apud Ethnicos in summo honore est, vt & virginibus legitime nubentibus vniura pronuba adhibeatur, etiam auspicij initium est itidem in quibusdam solennibus, & auspicijs, vt prior sit vniura: quibus, certe Flaminia non nisi vniura est: quæ Flaminia lex est. Nam duo ipsi Pontifici maximo iterare matrimonia non licet, quod monogamie gloria est: hæc Tertullianus, quidem repetit in lib. 1. ad uxorem, & in lib.